

CAPVT II.

*De quarundam Arborum singulari qualitate
ac iure.*

§. I.

Offerunt sese quaedam arbores, quae, dum adhuc fun-
do cohaerent, ob peculiarem aliquam qualitatem,
dominium priuatorum, cum primis quoad facultatem suc-
cidendi, effugere, et quasi iuris publici esse videntur.
Quaedam iterum ob singularem rationem, seu ius alteri
in iis quaesitum, ita comparatae sunt, vt peculiarem acci-
pant qualitatem, et quo ab aliis dignosci quaeant, incisa
cruce vel alio signo, experientia teste, notari solent, e. g.
arbores finales, quae saepe limites et terminos agrorum et
territeriorum constituunt, subque poena arbitraria *l. ult.*
§. ult. ff. de term. mot. et damni alteri contingentis restitutio-
ne §. 6. Inst. de off. Iud. l. 4. §. 1. et seqq. ff. fin. reg. excide-
re vel conuertere prohibitae sunt, germanice Mahl- oder
Tagbäume. Quandantenus etiam referri huc possunt eae
arbores caesae, quibus in fluuiis aquagia instruuntur et
distribuuntur, vulgo Wehrbäume, vid. Chursl. Sächs.
Mühlen: Ordn.

§. II.

Interdum flumina vel imbribus vel alio flumine ad-
mixto, aut ex pluribus causis tanta incrementa recipi-
unt, vt non solum ripam aggeremue lacerare, sed et Vr-
bes ac villas obruere possunt, attestante id notorietate.
Sic e contrario flumina tempore quodam valde exare-
fcunt et diminuuntur, vt limi diuidantur, et terra pisces-
que sitiant. Ideo in ripa siue margine plantari solent ar-
bores,

B

bores,